

430 *CH.* valet atque vivit. *ME.* ubinamst quaeso? *CH.* apud  
me domi.

*ME.* meu' gnatu'? *CH.* sic est. *ME.* venit? *CH.* certe.

*ME.* Clinia

meu' venit? *CH.* dixi. *ME.* eamu': duc me ad eum,  
obsecro.

*CH.* non volt te scire se redisse etiam et tuom  
conspectum fugitat: propter peccatum hoc timet,

25

435 ne tua duritia antiqua illa etiam adaucta sit.

*ME.* non tu illi dixti ut essem? *CH.* non. *ME.* quã  
ob rem, Chreme?

*CH.* quia pessume istuc in tẽ atque [in] illum consulis,  
si te tam leni et victo esse animo ostenderis.

*ME.* non possum: sati' iam, sati' pater durus fui. *CH.* ah 30  
440 vehemens in utramque partem, Menedeme, es nimis  
aut largitate nimia aut parsimonia:

in eandem fraudem ex hac re atque ex illa incidet.

primum olim potiu' quam paterere filium  
commetare ad mulierculam, quae paullulo

35

445 tũm erat contenta quoiq̄ue erant grata omnia,  
proterruisti hinc. ea coacta ingratiis  
postilla coepit victum volgo quaerere.

nunc quom sine magno intertrimento non potest  
haberi, quidvis dare cupis. nam ut tu scias

40

450 quam ea nunc instructa pulchre ad perniciem siet,  
primum iam ancillas secum adduxit plus decem  
oneratas veste atque auro: satrapes si siet

amator, numquam sufferre ei(u)s sumptus queat;

nedum tu possis. *ME.* estne ea intu'? *CH.* sit rogas?

45

455 sensi. nam unam ei cenam atque eiu' comitibus